

DISPUTATIO XVII.

DE ACTIONIBUS MERITORIIS CHRISTI QUOAD
SUBSTANTIAM, REGULAM, ET TEMPUS.

ARTICULUS I.

*Utrum omnes operationes Christi es-
sent humanæ, hoc est, ex delibera-
tione rationis procedentes?*

I. Pro explicatione hujus difficul-
tatis advertendum est ex D. Thoma
in hoc articulo I et II, quæst. I, art. I,
quod actio humana est illa, quæ
procedit ex voluntate deliberata per
rationem: aliæ vero actiones, quæ
in homine reperiuntur non proce-
dentes isto modo, dicuntur quidem
actiones hominis, non tamen ac-
tiones humanæ, ut ostendit D. Tho-
mas in hoc articulo dum apponit
exemplum de actionibus, quæ pro-
cedunt secundum naturam ele-
menti corporalis, quæ est in homi-
ne, ut ferri deorsum; et in actioni-
bus, quæ procedunt secundum vir-
tutem animæ vegetabilis, ut augeri
et nutriri. De Christo igitur propter
maximam ejus perfectionem est in
præsenti dubitatio, an omnes ejus
actiones, nulla excepta, essent hu-
manæ, ita ut ex deliberatione ratio-
nis procederent.

II. Prima conclusio: Omnes illæ
actiones, quæ in Christo procedebant
a voluntate deliberata per ratio-
nem, erant vere, et proprie huma-
næ. Hæc conclusio clarissima
est, et patet ex ipsa definitione ac-
tionis humanæ. Et similiter, quia
tales actiones in aliis hominibus
erant vere, et proprie humanæ; ergo
etiam in Christo. Patet consequen-
tia, quia perfectiones naturæ huma-

næ, quæ in aliis hominibus repe-
riuntur, multo excellentius ponendæ
sunt in Christo; ergo si in aliis
hominibus sunt vere, et proprie hu-
manæ, multo melius in Christo Do-
mino.

Secunda conclusio: Operationes
procedentes in Christo ab appetitu
sensitivo erant actiones humanæ.
Probat, quia illæ actiones semper
erant in Christo ex deliberatione
rationis, et motione voluntatis, et
non poterant prævenire rationem
ipsam, sed directionem ejus seque-
bantur; ergo erant actiones vere et
proprie humanæ.

III. Tertia conclusio: Quamvis ac-
tiones animæ vegetabilis, videlicet
nutritio, et augmentatio, et quæ
procedunt secundum naturam ele-
menti, ea parte, qua procedebant a
principiis naturalibus dicerentur
naturales Christo Domino, poterant
tamen vocari actiones humanæ in
Christo. Probat conclusio, quia
voluntas humana Christi intime
concorrebat ad tales operationes
procedentes ex principiis naturali-
bus propter perfectum dominium,
quod habebat supra talia principia;
ergo erant actiones humanæ. Pro-
batur consequentia, quia principa-
lis consideratio earumdem actio-
num desumebatur per ordinem ad
primum principium totius compo-
siti, quod est voluntas.

IV. Confirmatur, quia licet volun-
tas humana Christi considerata ut
instrumentum Verbi haberet virtu-
tem supra talia principia naturalia
productiva talium operationum, ta-
men quia erat instrumentum ani-
matum taliter a principali agente
movebatur, quod etiam moveret se
libere per consilium, et deliberatio-
nem, aut saltem per hoc, quod in-
tellectus creatus ostendebat illi ob-
jectum ad quod debebat concurrere
dum movebatur a Verbo, et ita vo-
luntas ipsa se movebat libere, atque

adeo poterat ut instrumentum Verbi
libere impedire tales operationes
procedentes ex principiis naturali-
bus, quod sufficit, ut illæ actiones
dicantur humanæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

V. Pro parte negativa arguitur:
Quia saltem operationes animæ ve-
getabilis, videlicet nutritio, et aug-
mentatio, et quæ procedunt secun-
dum naturam elementi, ut est ferri
deorsum, non procedebant ex deli-
beratione rationis, aut ex motione
voluntatis, sed ex principiis natura-
libus, quæ non subduntur rationi;
ergo illæ actiones non fuerunt hu-
manæ in Christo.

VI. Quod si dicas: Quod principia
proxima harum operationum sunt
qualitates naturales, tamen primum
principium a quo proveniunt est
ratio, et voluntas deliberata, quia
poterat Christus per suam volunta-
tem detinere, aut impedire talia
principia naturalia, ne prodirent in
actus suos.

VII. Contra hoc est, quia licet vo-
luntas Christi impedire posset præ-
dictas operationes, illud tamen non
erat per virtutem naturalem volun-
tatis humanæ, sed per virtutem su-
pernaturalem sibi communicatam,
quatenus erat instrumentum Verbi;
ergo hoc non erat sufficiens ut illæ
actiones denominarentur proprie
humanæ. Consequentia probatur,
quia ad hoc ut voluntas conferat
prædictam denominationem actionis
humanæ, requiritur quod ipsa ha-
beat rationem agentis principalis
movendo se, et reliquas potentias,
atque adeo non sufficit habere ratio-
nem causæ instrumentalis, quæ ab
alio movetur; ergo solutio insuffi-
ciens est. Antecedens probatur, quia
ad hoc ut aliqua actio sit humana,
requiritur quod in illa seipsum mo-

veat homo per consilium, et delibe-
rationem rationis.

VIII. Respondetur solutionem ibi
datam optimam esse. Ad cujus re-
plicam negatur consequentia, et ra-
tio ejus est, quia licet voluntas hu-
mana Christi esset causa instrumen-
talis mota a divino Verbo, tamen
movebatur juxta naturam suam,
hoc est, per deliberationem rationis,
atque adeo ad rationem actionis
humanæ ut sic non est necessarium
quod sit a causa principali, vel in-
strumentali, sed quod procedat a vo-
luntate deliberata per rationem, et
cum hoc reperiatur in Christo res-
pectu operationum animæ vegeta-
bilis, et illas impedire poterat pro-
pter dominium, quod supra suum
corpus habebat, dici possunt tales
operationes humanæ. Qua de causa
dixit D. Thomas in fine corporis ar-
ticuli, quod in Christo multo magis
erat una operatio, quam in quolibet.

ARTICULUS II.

*Utrum revera Christus mereri po-
tuerit?*

I. Pro decisione difficultatis no-
tandum est, quod ad hoc ut aliquis
actus sit meritorius necessario præ-
requiruntur aliquæ conditiones ex
communi sententia theologorum,
de quibus videatur magister Vincen-
tius pagina 507, §. Sed et alia. Pri-
ma est, ut illa actio sit ab homine
justo, et grato, nam ab homine pec-
catore procedere nequit actio vere,
et proprie meritoria: secunda, quod
opus illud sit liberum, nam in natu-
ralibus, ut Aristoteles ait, nec me-
remur, nec demeremur: tertia,
quod opus illud sit bonum, et in
Deum relatum, nam per opera prava
potius demeremur: quarta, quod sit
ab homine viatore, defectu cujus

actiones beatorum existentium jam in termino non sunt meritoria. His suppositis sit

II. Prima conclusio: De fide est, quod revera Christus meruit in suis operationibus. Probatur conclusio ex sacra Scriptura; nam Isaia LIII dicitur: *Pro eo quod laboravit anima ejus videbit, et saturabitur, etc.* Sunt etiam alia sacra Scripturae testimonia, quae videri possunt in magistro Vincentio loco supra citato: probatur etiam ex determinatione expressa Concilii Tridentini sess. VI, cap. VII, ubi definitur Christum fuisse causam meritoriam nostrae justificationis. Et in extravaganti Unigenitus Clemens VI idem determinat, asserens: « Quod thesaurus Ecclesiae ex meritis Christi constat. » Et est etiam communis, et antiquissima traditio sanctorum patrum, quorum testimonia adducuntur a magistro Vincentio ubi supra.

III. Deinde probatur ratione, quia actionibus Christi Domini conveniunt omnes conditiones requisitae ad rationem meriti a nobis supra assignatae; ergo erant vere, et proprie meritoriae. Consequentia est optima, et antecedens probatur, quia actio Christi erat ab homine justo, et libera circa creaturas, ut modo supponimus; bona et studiosa, in Deumque relata, et ab homine simpliciter viatore; ergo vere, et proprie erat meritoria.

IV. Secunda conclusio: Falsum est asserere, quod Christus Dominus solum meruit ex quodam privilegio, et miraculo, ita ut non posset mereri, si relinqueretur in connaturali modo operandi ipsius Christi. Haec ponitur contra Scotum relatum a Cabrera in hoc articulo, disp. I, conclusione II, et contra alios qui affirmant Christum sine miraculo mereri non posse, eo quod actus charitatis ejus erat necessarius. Sed tamen neque Scotus habuit hanc doc-

trinam, sed solum asseruit difficile esse explicare quomodo Christus potuerit mereri, cum fuerit beatus, et perfecte unitus ultimo fini ab instanti suae conceptionis; neque ipsa doctrina vera est. Et probatur, quia operationes Christi sine novo miraculo habebant conditiones requisitas ad rationem meriti, praecedenti conclusione explicatas; ergo connaturale erat ipsis operationibus secundum modum, quo a Christo eliciebantur, esse proprie meritorias.

V. Tertia conclusio: Operationes Christi eo modo, quo a Christo eliciebantur propriissime erant meritoriae ex se ipsis, neque harum meritum fundabatur in aliqua extrinseca acceptatione Dei. Haec est contra Scotum in primo sententiarum, dist. XVII, quaest. I, et in III, dist. XIX, quem sequuntur Gabriel, et Almainus, quos Suarez refert disp. XXXIX, sect. I, qui asserunt, quod meritum aliorum hominum justorum, et etiam Christi fundatur in extrinseca acceptatione Dei. Quae sententia falsa est, et quantum attinet ad meritum aliorum hominum impugnari solet I-2, quaestione CXIV. Quantum vero attinet ad meritum Christi impugnatur breviter, quia operationes Christi Domini ab intrinseco, et ex se ipsis habebant valorem, proportionem, et condignitatem cum praemio ordinis supernaturalis; ergo non conveniebat illis ratio meriti ab extrinseca acceptatione divina, sed potius supposita tali proportione et connaturalitate operum cum praemio postea intelligitur eorum acceptatio. Consequentia est nota, et antecedens probatur, quia actiones Christi ab intrinseco principio habebant esse amici Dei, et erant supernaturalis ordinis procedentes a gratia, et charitate; ergo habebant intrinsecum valorem, et commensurationem cum praemio.

VI. Quarta conclusio: Ad hoc ut

actiones Christi essent meritoriae non erat necessarium, quod interveniret de facto pactum, vel promissio Dei, quo pasciceretur se daturum praemium. Itaque licet de facto tale pactum, et promissio intervenerint, ut colligitur ex sacra Scriptura, asserimus illud non fuisse necessarium, ut operationes Christi meritoriae essent. Haec ponitur contra Suarez disput. XXXIX, sect. I, ubi loquitur aequaliter de merito Christi, et aliorum hominum quantum ad hoc, quod indigeant pacto, vel promissione Dei. Sed tamen quidquid sit de merito aliorum hominum (de quo disputatur I-2, quaest. CXIV, artic. VI) de merito tamen Christi loquentes, asserimus illam conditionem non esse necessariam ad hoc ut Christus aliquid a Deo mereretur, sed eo ipso quod Christus ordinaret suas operationes ad aliquod praemium, illud mereretur apud Deum. Probatur conclusio ex differentia actionum Christi meritoriarum, et actionum aliorum hominum justorum. Actio enim hominis puri, etiam in gratia existentis, non habet ex se sola rigorosam proportionem ex justitia cum praemio supernaturali, et ita necessarium est ut interveniat pactum divinum de reddendo praemio, si talia opera fiant. At vero operatio Christi ex se habet condignitatem ex justitia rigorosa cum praemio quocumque supernaturali, eo quod procedit a persona infinita simpliciter; unde eo ipso quo talis persona ordinaret operationem suam ad aliquod praemium consequendum, ratio justitiae exposcebat, ut tale praemium conferatur, seclusa quacumque alia ordinatione extrinseca Dei, quia ipsa persona ordinans operationem suam ad tale praemium erat Deus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VII. Primo arguitur pro parte negativa: Quia ut supra diximus quaestione VII, articulo III, in Christo Domino non fuit fides, eo quod imperfectionem dicit in subjecto habente illam; sed meritum etiam dicit imperfectionem in merente; erga nullatenus debet poni in Christo. Consequentia est bona; et minor probatur, nam qui meretur expectat aliquid sibi conferendum ab alio tamquam a superiori, et consequenter dicit inferioritatem, et indigentiam in persona merente; ergo nullatenus debet poni in Christo.

VIII. Respondetur verissimum esse, quod ad rationem meriti requiritur inferioritas ex parte merentis, et subjectio ad praemiantem, ex quo manifeste colligitur, quod suppositum ipsum divinum secundum se nullatenus potest mereri, fuit tamen ita mirabilis ordinatio divina in mysterio incarnationis, ut ad meritum Christi infinitum, et suppositum divinum, et natura humana concurrerent; ad id quidem quod perfectionis est, concurrat suppositum divinum, utpote conferens infinitatem valoris in operationibus, quam non posset humanitas, si in proprio supposito esset: ad id autem quod imperfectionis est, videlicet ad inferioritatem, et subjectionem requisitam ad meritum concurrat humanitas Christi, quae cum creatura sit, habet inferioritatem, et subjectionem ad Deum, et ex utroque simul consurgit ratio infiniti meriti in Christo. Unde meritum non petit inferioritatem in supposito, sed in natura, ratione cujus est capax meriti.

IX. Nec est simile de fide virtute theologica, quae a Christo seclusa fuit, et tantum conveniebat ratione

naturæ; nam habere fidem supponit imperfectionem in ipsa natura humana, videlicet non videre Deum, quæ repugnat perfectioni naturæ humanæ suppositatæ a Verbo, ut ibidem diximus. At esse subjectam, et esse inferiorem Deo non est imperfectio in humanitate, nam eo ipso quod creatura est, quantumvis perfecta sit, habet necessario esse subjecta Deo, et illi inferior, nec ab illa hoc auferri potest.

X. Secundo aguitur: Cuilibet merito correspondet aliquod præmium; sed merito Christi nullum correspondet præmium; ergo non est tale meritum in illo. Major est nota cum consequentia; et minor probatur, quia merito Christi, si daretur, nec respondet præmium infinitum, neque finitum; ergo nullum. Primum probatur, quia tale infinitum præmium non est dabile, videlicet infinita gloria essentialiter, et simpliciter. Secundum vero probatur, quia meritoria actio Christi, si in illo daretur, procederet ab infinito supposito operante ut quod, ergo esset meritoria infiniti præmii simpliciter, quia præmium correspondere debet merito.

XI. Respondetur negando minorem, nam merito Christi correspondet præmium infinitum, sicut et ipsum meritum infinitum est. Illud autem non est gloria infinita, quæ dabilis non est, sed omnia quæ dantur illi in præmium, dari ex toto rigore justitiæ, quod quidem facit infinitatem in præmio, licet entitative finitum esset. Ac etiam datur præmium infinitum Christo, quia meruit suam resurrectionem, et talis resurrectio infinitatem habet ex ea parte, qua consequenter ad unionem animæ cum corpore resultavit unio hypostatica Verbi divini ad totam naturam humanam, quod infinitum simpliciter est præmium. Nec de hoc in præsentia prolongan-

us est sermo, cum latissime, dum de satisfactione Christi infinita disseruimus, quæ ad hoc conducunt, explicavimus supra quæst. I, articulo secundo.

XII. Tertio arguitur: Quia Christus Dominus non potuit demereri; ergo nec etiam potest mereri. Patet consequentia, quia contraria nata sunt fieri circa idem; antecedens autem supra a nobis probatum fuit quæst. xv, articulo primo.

XIII. Confirmatur hoc argumentum, quia ut ait D. Thomas hic in solutione ad primum non merebatur Christus in quantum comprehensor, sed in quantum viator; ergo non potuit mereri secundum animam, quia secundum animam erat beatus; et ex altera parte erat viator secundum corpus, secundum quam rationem non est capax meriti, quia meritum esse debet ab anima, et a voluntate, quæ potentia ejus est, et non a viribus corporalibus; ergo secundum nullam partem potest competere Christo, quod actiones meritorias habere possit.

XIV. Ultimo arguitur: Quia Christus Dominus, si per aliquem actum mereri posset, maxime per actum charitatis, quæ est principium totius meriti, sed per actum charitatis non potuit mereri; ergo per nullum. Minor probatur, quia actus charitatis in Christo erat omnino necessarius, utpote actus comprehensoris; ergo non erat ille meritorius, quia ad rationem meriti requiritur libertas.

XV. Ad tertium argumentum respondetur, quod contraria nata sunt fieri circa idem ex imperfectione subjecti in quo recipiuntur, quia cum subjectum habeat ex se potentialitatem indifferentem ad utrumque contrariorum, ideo unumquodque illorum recipere potest. Nihilominus attenda perfectione alicujus subjecti, cui non est admixta im-

perfectio in illo genere, taliter potest unum contrarium illi conjungi, ut alterum repugnet omnino in illo recipi. Nec de hoc deest exemplum in naturalibus, nam ignis ita determinatus est ad calorem, ut nequam possit recipere frigiditatem. Cum ergo Christus propter suam maximam perfectionem semper esset determinatus ad bonum quantum ad specificationem, videlicet, quia si operabatur deberet operari conformiter ad rationem, inde est, quod non potuerit demereri, quamvis mereri posset, nam in nobis utrumque reperiri provenit ratione nostræ imperfectionis, qua ad bonum, et ad malum indifferentes sumus.

XVI. Est etiam exemplum in theologia, quo demonstratur actionem aliquam esse meritoriam, et tamen non posse esse peccatum, nec demeritoriam, ut patet in prima volitione voluntatis, quando movetur voluntas a Deo, et non a se ipsa, hæc enim operatio in Angelis, et in hominibus non potest esse mala, quia est ab auctore naturæ tamquam ab applicante voluntatem ad talem operationem, et tamen illa cum bona sit, et quantum ad exercitium libera, potest esse meritoria, quamvis Deus nos ad illam moveat; hoc est enim magna misericordia Dei, quod nostra vult esse merita, quæ sua sunt dona.

XVII. Ad confirmationem respondetur, quod quando dicitur, quod Christus erat viator quantum ad corpus, non sic debet intelligi, quod ratio tendentiæ ad patriam desumatur ex corpore præcise, sed quod ratione corporis passibilis erat capax Christus tendendi ad patriam, ad quam secundum corpus nondum pervenerat. Debet ergo dici, quod Christus non tantum ratione corporis præcise, sed etiam secundum animam erat viator, nam licet se-

cundum partem superiorem animæ, hoc est, secundum quod regulabatur rationibus superioribus, esset comprehensor, tamen secundum partem inferiorem animæ, hoc est, secundum quod movebatur rationibus, erat viator. Unde in eadem anima, et reperiebatur gaudium comprehensoris, et etiam tristitia viatoris, quam explicuit Christus quando dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

XVIII. Ultimum argumentum petit specialem difficultatem de virtute, qua mediante Christus meruit, quod consulto ultimo loco posuimus, ut occasione illius jam sequeretur.

ARTICULUS III.

Utrum Christus meruerit per actum charitatis erga Deum; an vero solum per actum aliarum virtutum?

I. Circa istam difficultatem Vazquez disp. lxxiv, cap. iii, tenet nulatenus Christum meruisse, neque mereri potuisse per aliquem actum dilectionis circa Deum. Et pro illa sententia arguit, quia si Christus Dominus mereretur per actum dilectionis Dei, deberet talis amor esse liber, nam per actum omino necessarium non potest mereri (ut nos etiam diximus inter conditiones requisitas ad rationem meriti articulo præcedenti) sed in Christo nullus actus amoris Dei fuit liber, sed omnino necessarius; ergo per nullum actum amoris Dei mereri potuit. Consequentia est manifesta, et minor in qua est difficultas probatur primo ab illo auctore, quia si aliquis actus amoris Dei imaginari posset liber, maxime ille qui sequeretur ex scientia infusa animæ Christi, sed ad talem scientiam nullus actus amoris supernaturalis sequi potest: ergo nullus est dabilis liber. Mino-